



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Aspach.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

XXII. Mag. GEORGIVS Mayr Præpositus Isnensis in Decanum electus 13. Martij
an. 1531. ob. in mense Julio, an. 1586.

XXIII. GEORGIVS Zauner Monachus olim S. m. Guilelmo Duci Bavaria. &c. à sa-
cris, electus in Decanum tertio die mens. Augusti, an. 1586 ob. 21. Martij, an. 1612.

XXIV. ANDREAS Scherer Acronianus Tetnangensis, sub ditione illustrium anti-
quissima prosapie Comitum de Montfort &c. elig. die mens. Aprilis, an. 1512. Vir à pie-
tate, doctrina, & humanitate iure commendandus. Super est adhuc, & super sit. Numi-
ne fauente diu feliciter.

A S P A C H.

MONASTERIUM ordinis Benedictini fundatur à Christiana, vidua Geroldi
Comitis, consecratur ab Ottone, Episcopo Babenbergensi, Anno 1127, ali-
bi Auentinus in Annal. suis, fol. 622. ponit, quod Geroldus & Christina coniunx
prætorium suum Benedictinis tradiderint. Pertinebatautem hoc Monasteri-
um jure Aduocatiæ, & aliis ad ditionem Fraunstein & Ering, quæ olim ad Ecce-
siam Bambergensem spectabant. Vnde superioribus annis, tempore Wilhel-
mi & Ludouici, Ducum Bauariæ, Episcopi Bambergenses prætendebat nescio
quæ jura ad Monasterium hoc, volebantq; vt Prælati jura temporalia ab Episco-
pis in feudum reciperent, annuatimq; pensionem soluerent: Sed renuebant Prin-
cipes, atq; sub sua ditione ac protectione, sicut & sui Antecessores retinuerunt,
Extant in Archiuo eius rei documenta, &c.

PRIMVS huius Monasterij Abbas dicitur fuisse ex familia Nobilium de Si-
genhaim. Hoc Monasterium in eo bello, quod Manigoldus, Episcopus Pataui-
ensis, cum Rapothone, Comite Palatino Bauariæ, familiæ de Ortenberg gessit,
grauissimè attritum ac deuastatum est, quâ de re apud Episcopos illos plura. A-
uent. lib. 7. f. 662. pariter in bello Othocari Regis Bohemiæ, contra Duces Baua-
riæ, &c. vnâ cum pluribus aliis Templis ad Oenum Velsam & Rotam sitis, circa
Annum 1266. Auentinus folio 765.

HVIC Monasterio Leonhardus Episcopus Patauiensis constituit denarium,
perpetuis temporibus singulis annis ab Inquilinis Parochialium Ecclesiarum in
Trußlern, Puerpach, Münster, Karphaim, Weichmerring, Wirting, Munichaim,
&c. soluendum custodi Monasterij, pro officio custodiæ, & pro conseruandis &
reparandis ornatibus Templi eiusdem Monasterij, Anno 1426.

ADDITIONES.

Literæ foundationis.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Eberhardus Dei gratia Babenbergensis
Episcopus secundus. Officij nostri ratio postulare videtur, vt Ecclesias no-
stras in rebus & possessionibus suis manu tenere & confirmare, atq; contra fu-
turas malicias hominum, quantum possumus auxiliante Domino præmunire
debeamus. Quocirca vniuersitati fidelium notum esse volumus, quod deuota
Christi famula Christina de Aspach, relicta Caroli Comitis, cum eo mortuo vidua-
ta esset, & prolem non haberet, prædiis quidem & possessionibus mariti ad pro-
pinquos eius redeuntibus, ipsa suum hæreditarium prædium Aspach cum tota
familia sua, & personis hominum, cum omnibus pertinentibus suis, cum agris,
pratis, pascuis, syluis, cultis & incultis, cum aquis aquarumq; decursibus, pisca-
tionibus, molendinis, & cum omni genere vilicitatis, quo ipsa illud noscitur.

& Imperij nostri fidelibus, qualiter fideles & dilecti nostri *Eberhardus Babenbergensis* Episcopus, & *Eberhardus Ratisponensis* electus prudenter aduertentes, quod qui auctore Pratore possidet, iuste possidet, presentiam nostram adierunt, deprecantes vt Concambium, quod factum fuerat inter *Bambergensem* & *Ratisponensem* Ecclesiam de manso *Benningen* ad Episcopatum *Ratisponensem* pertinente & tempore *Hartuici* Ratisponensis Episcopi cuidam *Friderico de Sigenheim* inbeneficiato, & tribus mansis econtra, vno in *Rore*, alio in *Vffheim*, & dimidio in *Srvein*, itemque dimidio in loco *Inneheim* ad Ecclesiam *Babenbergensem* pertinentibus, per manum Comitis *Gebehardi Ratisponensis* Ecclesie Aduocati principalis, & per manum *Adelrammi de Cambe* in predictis tribus mansis *Babenbergensis* Ecclesie Aduocati, auctoritate nostra confirmaremus. Iustus itaque & rationabilibus eorum petitionibus assentientes, hinc inde dantes & accipientes predictam commutationem lege concambij per manum nostram imperialem, & per manum predicti *Babenbergensis* Episcopi & *Ratisponensis* electi, presentibus, & consentientibus multis vtriusque Ecclesie hominibus liberis & ministerialibus, prefatam commutationem roborauimus, statuantes & firmiter precipientes, vt nulla Ecclesiastica secularisue persona violare presumat hanc nostre imperialis maiestatis constitutionem. Quicumque vero ausu temerario contra venire presumpserit, honoris sui detrimentum incurrat, & centum libras auri purissimi appendat, medietatem Camere nostre, & medietatem Ecclesie cui damnum illatum fuerit. Testeshorum sunt *Henricus Dux Bauariæ* atque *Saxonie*, *Fridericus Dux de Rottenburch*, *Otto Palatinus* & frater eius *Fridericus de Wittelinesbach*, *Bertholdus Marchio de Vohburg*, *Berengerus Comes de Sultzbach*, *Heinricus Burggrauius de Ratispona*, & frater eius *Otto Landgrauius*, *Marquardus de Grunbach*, *Gebehardus de Luckeberge* & frater eius *Marquardus*. De ministerialibus *Ratisponensis* *Sigehardus de Eberspuinten*. *Vdalricus Vice dominus*, *Nisse de Raitenbuch*, & alij quamplures. De ministerialibus *Babenbergensibus*, *Hartlieb de Wincern*, *Eppo & Rapoto*, & *Gozvin de Hosterhouen*, & alij multi.

Signum Domini *Friderici Romanorum Imperatoris*
Inuictissimi.



Datum per manum *Christiani sacri palatij Cancellarij*.

Actum *Ratisponæ*, anno *Dominicæ incarnationis* M, CLXVI. *Indictione* decima quarta, quarto *Idus Aprilis*, regnante *Domino Friderico glorioso Imperatore Augusto*, Anno regni eius decimo tertio, in *Imperij* verò vndecimo feliciter, *Amē*.

De vno Manso apud Penningen.

Hartuicus Episcopus Dei gratia *Ratisponensis* Ecclesie *Aspacensi* Abbati & Successoribus eius, & fratribus ibidem Deo militantibus in perpetuum. Loca diuinis obsequijs mancipata manutenere, & fratrum illic Deo seruentium prouentibus prouidere, & eorum incommoda modis omnibus declinare, non solum laudabile, sed etiam saluberrimum est. Inde est vtiq; quod nos cunctis Christi fidelibus notum esse cupimus, quod cuidam fidei nostro *Rapotonis* Comitis ministeriali, *Friderico* scilicet de *Sigenheim* mansum vnum apud *Penningen*

habuisse, *Babenbergensē* Ecclesiā contradidit, eā videlicet pactione, vt in Cellam ad minus duodecim Monachorum verteretur, pro remedio animæ suæ, & mariti sui, ac parentum vtrorumque, Ita beatæ memoriæ Dominus noster *Otto* Episcopus talium rerum studiosus locum cepit & prædiis ac decimis auctum, sub patrocinio Beati *Matthæi* Apostoli in Abbatiam promouit. Similiter & decimas in *Mattehouen*, & *Atersee*, & in *Heringen* ei contulit. Nos vero prædecessorum nostrorum præcepta siue opera studiosa deuotione complectentes, Domini ac fratris nostri *Friderici*, eiusdem loci Abbatis, & cæterorum fratrum petitioni acquiescimus, scilicet vt locus ipse à præfatis prædecessoribus nostris in diuinum seruitium fundatus, atque semel & iterum confirmatus est: ita nunc quoque tertia vice, in nomine Sanctæ Trinitatis nostri priuilegij confirmatione roboretur, vt vndique munitus, nulla futurorum improbitate perturbari queat. Statuimus etiam, vt nihil vnquam iure beneficij ex prædiis eiusdem Monasterij militibus, seu aliis secularibus concedatur, quin imò beneficium quod *Vtelingin* dicitur, cum incultis & perinentiis suis, quod necessitate temporum Beatus *Otto* Episcopus infeodasse probatur, nullus Episcoporum vel Abbatum infeodare præsumat, sed potius si vacare ceperit, in vsum & vtilitatem Ecclesiæ reducatur. Omnia igitur quæ ab ipsa fundatione, seu à prædictis prædecessoribus nostris eidem monasterio Canonorum, & totius Cleri conuiuentia, fidelium quoque ac nostro collata sunt, cunctorum fratrum nostrorum Abbatum, Præpositorum ministerialium nostrorum ac totius Curie nostræ consensu, fratribus ibidem Deo militantibus, seu militaturis in perpetuum profutura confirmamus, præsentemque paginam inde cõscriptam ad euidentissimæ veritatis indicium nostræ imaginis impressione signauimus. Testes sunt horum de Clero, *Giselbertus* maioris Ecclesiæ Præpositus, *Hermannus* Decanus, *Cunradus* Custos, *Otto* Præpositus Sancti Stephani, *Eberhardus* de Rosenstade, *Hermannus* de Rodehufen, *Burckardus* Cellerarius, *Hermannus* Notich, *Irrenbertus* Abbas Sancti Michaëlis, *Helmericus* Abbas de *Eüttersdorf*, Abbas *Cunradus* de *Vrovva*. Ex Laicis liberi *Berchtoldus* Comes de *Andechese*, *Cunradus* Buggrauus de *Nürnberg*, *Regenoldus* de *Rippenberg*, *Valricus* *Wdalpoto*, *Valricus* de *Wischenuelt*, *Henricus* de *Otholdsdorf*, & *Megengotus* frater eius. Ministeriales, *Gundeloch* de *Bodelendorf*, *Ratloch* de *Memelsdorf*, *Godeholdus* de *Hofterhoue*, *Eberhart* de *Trostereuth*, *Marquardus* de *Willchaldesdorf*, *Hartlibus* de *Wincere*, *Eppo* de *Hergoltingen*, & frater eius *Marquard*, *Rapoto* de *Rodingen*, *Gosvvinus* de *Osterhouen*, & filius eius *Gozvvinus*, *Cunradus* de *Bummanesdorf*, *Eberhart* de *Anevvaesdorf*, & frater eius *Ekkehart*, & alij multi. Actū Dominicæ incarnationis M, C. LXIII. Indictione duodecima, regnante Domino *Friderico* glorioso Romanorum Imperatore, & semper Augusto, anno regni eius decimo tertio. Imperij vero Nonofeliciter, Amen.

De Concambio inter *Babenbergensem* & *Ratisponensem* Episcopos facto pro *Manso* Penningen, & contra pro tribus mansis, vno in *Rorr*, altero in *Vsaim*, & dimidio in *Schvvein*, itemq; dimidio in *Inneheim*.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Fridericus* diuina fauente clementia Imperator Romanorum Augustus. Immortale premium ab æterna diuinitate speramus, si ea quæ Ecclesiis seu Monasteriis seruorum Dei prospicere possunt, ad pacem & quietem, nostrâ imperiali auctoritate promouemus & confirmamus. Quapropter notificamus vniuersis Christi & Impe-

fitum in beneficium concessimus, & is habitationem propter mania construere disposuit. Timentes autem fratres *Aspacenses* cohabitationis vicinitatem, propter quotidianam vexationem rogauerunt nos, vt pro illo solo prædio triplam alibi de suis prædiis reciperemus. Quorum petitioni annuimus, conuocatis & missis ministerialibus nostris *Eberan de Sauerstetten, Adalberto de Wihinmertingen, Haimone de Berge, Adalmano de Scheffovve*, ad prædia illa æstimanda & videnda. Hi verò exacta inquisitione, scilicet iuramento, quo fidelitatem iurauerunt, interrogati, potiorem partem & vtilius tale concambium nostræ Ecclesiæ fore asseruerunt. Illi autem iam sæpediti fratres *Aspacenses* per manum Aduocati *Adelrammi*, & in præsentia & coniuuentia Domini *Eberhardi Babenbergensis* Episcopi, mansum vnum apud *Rore*, & mansum vnum apud *Vshaim*, prædium vnum apud *Sovaine*, dimidium mansum apud *Innehaim* in manus *Rapotonis* Comitis super altare Sancti Petri in *Ratispona* tradendum perpetua emphyteosi commutauerunt & tradiderunt. Nos per manum Aduocati *Gebehardi* Comitis, in manus *Rapotonis* Comitis mansum jam ante dictum apud *Benningens* super altare Sancti *Matthai* perpetua emphyteosi commutauimus, & tradidimus. Vt autem tale concambium legitimum à nostris successoribus inconuulsum & illibatum omni æuo permaneat, hanc præsentis scripti paginam conscribi, & sigilli nostri impressione roborauimus. Si quis autem hanc commutationem & traditionem infringere tentauerit, secundo tertioque communitus, omni communione Ecclesiastica careat, & à corpore & sanguine Domini nostri *IESV Christi* in extremis suis alienus existat. Huius verò commutationis & traditionis testes sunt hi, *Rapoto* Comes de *Ortenberck*, *Vdalricus* de *Steine*, *Wernherus* de *Gibistorf*, *Waldo* de *Valkinsteine*, *Wernhart* de *Ostirnahe*, *Aribo* *Sculterus*, & filius eius *Aribo*, *Balduvvinus* & filius eius *Cunrat* de *Ratispona*, *Wernhart* de *Erlingen*, *Vdalricus* de *Wisint*, *Vdalricus* *Kargilin*, *Karolo* de *Lerchinvelt*, *Gebehard* & frater eius *Waltherus* de *Svviiber*, *Vdalricus* & frater eius *Ekkebertus* de *Hafenaker*, *Ruigerus* de *Grüzinibach*, *Chuno* de *Homdorf*, *Vdalricus* de *Tierhöbrin*, *Rudpertus* de *Leren*, *Herolt von den hohen Haus*. Ego *Wernherus* Præpositus maioris Ecclesiæ subscripsi. Ego *Heinricus* Decanus maioris Ecclesiæ subscripsi. Ego *Geringerus* Custos & Canonicus maioris Ecclesiæ subscripsi. Ego *Rudigerus* Archidiaconus Ecclesiæ maioris & Præpositus Sancti *Iohannis* subscripsi. Ego *Burckhardus* maioris Ecclesiæ Canonicus subscripsi. Ego *Heinricus* subscripsi. Ego *Meriboto* subscripsi. Ego *Hermannus* subscripsi. Ego *Gotefridus* subscripsi. Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ *M. C. LXIII*, Regnante inuictissimo Romanorum Augusto *Friderico*.

Wir *Hainrich* von Gottes Gnaden Pfalzgrauze Rhein/ vnd Hertzog in *Bayern*, Embieten vnsern Bisgumen/ Richtern/ allen vnsern Ambtleuten/ allen vnsern Edlen/ Leuten/ vnd gemainlich allen den/ die in vnserm Landt geseßen sind/ vnser huld vnd alles guet. Wir lassen Euch wissen/ das wir Herrn *Vriche* den Ersamen Abbt/ vnd allen den Conuent des Gottshaus ze *Aspach*/ jr Leut vnd auch jr Güetter/ in vnsern besondern Schirm/ Gnad vnd Sicherheit genommen haben/ also das derselb Abbt fürbas vnser besonder Caplan ist vnd seyn solle/ auch für Graf *Hanssen* von *Hals* vmb gelt/ noch vmb keinerley sachen nicht Pfand sollen seyn/ desgleichen alle die recht haben/ die ander Preidten in vnserm Land haben. Vnd dauon wollen wir/ vnd gebieten Euch allen vestiglich bey vnsern Hulden/ das ihr in die vorgenante Gnad alle ewiglich stät habet/ vnd mit nichten oberfahret/ noch befrengt/ als jr vnser schwere Dingsnad vermerken wellest/ Der Brieff ist gegeben zu *Landeshut* am 13 6. Jar/ an Sanct *Wlafij* tag.

Primus

Primus huius Monasterij Abbas dicitur fuisse ex familia Nobilium de *Sigenheim*, qui obiit Anno 1164.

Hoc Monasterium in eo bello, quod *Manigoldus* Episcopus *Patauiensis*, & *Albertus* Comes à *Pogen* cum *Rapoto*, Comite Palatino *Bauariæ*, familia de *Ortenberg* gessit, sibi spoliatum, & penitus exustum est, Anno 1212. in Vigilia Sancti *Andree* Apostoli. Pariter in bello *Ottokari* Regis *Bohemiæ* contra Duces *Bauariæ*, nimirum Dñi. *Henricum* & *Ludovicum* spoliatum & exustum est, ab eiusdem Regis capiteo, circa annum 1266.

Erat & olim Monasterium fororũ, seu sacrarum virginum ibidem, S. *Michælis* Oratorio seu Ecclesiæ parochiali coniunctum, quod similiter in prædicto bello *Manigoldi* Episcopi & *Alberti* Comitis exustum est; cuius ædificiis primò succensis posthæc maiorem Ecclesiã alterius Monasterij, cum omnibus officinis sibi adiacentibus vorax flamma consumpsit. Cuius rei miserabilem euentum habemus in scriptis *Rapothoni* presbyteri quondam Conuentualis ibidem, *Henrici* Abbatis successoris; quem idem Abbas collectis per manus fidelium ad reparationem Ecclesiæ mittendis, præfecerat. Literarum & Priuilegiorum super redditibus Monasterij editorum & conscriptorum, quæ in prædictis exustionibus incendio consumpta sunt, sit mentio in *Bertholdi* Episcopi *Bambergensis* litera, num. 25. Item in *Thomæ* Abbatis Monasterij *Celle principum* lit. nu. 38.

Anno Domini 1350. feria sexta post diem Natiuitatis B. MARIÆ, in nocte fures surripiebant ex sacristia cuncta insignia Domini Abbatis, videlicet baculum, torques & annulos, & vnam pannum deauratum, vnum pannum bombycinum, vnam magnam crucem argenteam deauratam, in cuius concavitate multæ fuerunt reliquiæ Sanctorum. Vnam parvam crucem argenteam, quæ etiam claudebat Sanctuaria: & penè omnia priuilegia Monasterij, cum plurimis priuilegiis quorundam Laicorum.

Sequuntur literæ Bertholdi Bamberg. Episcopi quarum paulo supra sit mentio sub num. 25.

Bertholdus Dei gratia *Babenbergensis* Ecclesiæ Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pertenerit, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum auctoritate Canonis quæ infirmari possunt præcaueri debeant, cautum est, vt ad modernorum memoriam, & noticiam futurorũ, qua fideliter inter bonos aguntur, scripturæ testimonio commendentur. Notũ igitur esse volumus vniuersis, ad quos tenor peruenerit huius scripti, quod dilectus nobis in Christo *Wernhardus* honorabilis Abbas Monasterij S. *Matthæi* in *Aspach*, à prædecessoribus nostris fundati, Diocesis *Patauiensis*, ex parte sui, eiusque Conuentus, efficaciter proposuit coram nobis, quod Monasterium ipsius, tam in hominibus quam in bonis, infra districtus nostros vel propè existentibus, per Officiales nostros, nec non aduocatorum iudices, libertatum & juris, quibus à prædecessoribus nostris, fundatoribus loci eiusdem priuilegiatum fuerat antiquo, si ferè solatio destitutum. Proposuit etiam, quod Priuilegia super hoc conscripta in exustione ipsius Monasterij essent per incendium consumpta, & hoc se exhibuit certius probaturũ, petens humiliter & deuotè, quatenus tum propter Deũ, tum propter iusticiam, tum etiam quia dictum Monasterium in *Aspach* ab Ecclesia *Bambergensis* per nostros est prædecessores fundatum, sibi dignaremur super proposito consulere & auxilium impertiri. Cum igitur ex iniuncto nobis à Deo officio, omnibus piis locis, & maxime illis quæ à prædecessoribus

nostris sunt fundata, subuenire, & paterna sollicitudine eorum indempnitat
 consulere, vt in statu bono & debito conseruentur, certius teneamur, neue ad
 dissolutionem suarum libertatum vergant, summopere præcauendo. Cogni-
 to de veritate, quod Priuilegia prædecessorum nostrorum, libertates, iura, & be-
 neficia collata continentia, sunt exusta. Habita insuper inquisitione stu-
 diosa per multos idoneos, honestos, fide dignos, maximè Ecclesiæ nostræ ho-
 mines de infra scriptis iuribus Monasterij, similiter sufficienter instructi legi-
 timis documentis, dignum æstimauimus atque iustum nos debere præde-
 cessorum nostrorum, vestigia imitari, dicto loco iura & libertates ab ipsis
 collata diligentius conseruando. Propositum itaque extitit coràm nobis
 iustitia mediante, quod homines in bonis Monasterij *Aspacensis* residen-
 tes, tam in *Atergevv*, tam circa *Hönbart*, quam etiam circa *Holmarchiam*
 in *Ering*, in siluis nostris & in memoribus, seu in foresta, omni vsu & iure
 gaudere debent, quo & nostri, & sub eadem, annalis seruitij pensione.
 Præterea si homines Ecclesiæ nostræ in possessionibus dicti Monasterij fue-
 rint instituti, quamdiu ibi residere voluerint, officiales nostri eos inde non
 debent repossidere, nec in eis medio tempore jus aliquod aut seruitium
 vsurpare. Sed idem jus circa homines ipsius, in bonis Ecclesiæ nostræ
 institutos, nobis est per omnia reseruandum. Cæterum homines de
 familia Ecclesiæ nostræ licite possunt in familia Monasterij matrimonium
 contrahere, & è conuerso, nec ex hoc incurrere debent pœnam aliquam,
 siue bannum, nec etiam ab hoc debent ab Officialibus vtrinque aliquatenus
 prohiberi. Insuper si ex parte Monasterij possessiones aliquæ, quarum pro-
 prietatis titulus nostram respicit Ecclesiam, & vulgariter dicitur *Inuertai-*
gen, fuerint comparatæ, vel per modum donationis, seu ex testamento ali-
 cuius ad ipsum deuenierint, auctoritate nostra & Ecclesiæ nostræ ad jus & pro-
 prietatem ipsius Monasterij transierint ipso facto. Verum si dictus Abbas in
 bonis sui Monasterij vel hominibus, per aduocatum suum, aut iudicem ip-
 sius, seu alium quemcunq; contra Deum & iustitiam fuerit quocunq; mo-
 do grauatus, injuriam & offensam ipsius reputare debemus, quasi nobis &
 Ecclesiæ nostræ illatam sibi que satisfactionem petere, dummodo nos duxe-
 rit requirendos. Volentes igitur thesaurum inæstimabilem per foundationem
 & promotionem piorum locorum, in quibus cultus diuinus deuotius frequen-
 tatur, per nostros prædecessores sollicitè comparatum, quantum Deus dederit,
 conseruare, omnes libertates & iura seu beneficia præscripta dicto Monasterio
 in *Aspach* auctoritate nostra & Ecclesiæ nostræ renouamus, conferimus, & ple-
 næ concessionis robore confirmamus, promittentes pro nobis & pro Ecclesia
 nostra omnia & singula supradicta perpetuo firma & rata habere & tenere, &
 non contrafacere, vel venire, per nos vel alios, aliqua ratione vel causa, arte vel
 ingenio, de jure vel de facto. Ipsumque Monasterium, prædicta iura auctorita-
 te nostra ex nunc constituimus possidere. Et licet huiusmodi concessionem &
 confirmationem fecimus, propter Deum & iustitiam, ad hoc tamen plurimum
 nos induxit, quod idem Abbas suiq; antecessores nobis & Ecclesiæ nostræ mul-
 ta grata seruitia exhibuit, & semper poterit exhibere. Vt autem omnia & singu-
 la supradicta perpetuum robur firmitatis consequantur, præsentem chartam
 super hoc editam & conscriptam sibi suoq; Monasterio dedimus nostro sigillo
 munitam. Huius autem facti nostri testes sunt, Chunradus Decanus Ecclesiæ S.
 Stephani in Babenberg. Chunradus Decanus in Schvidlving. Chunradus &
 Wernherus Capellani & Notarij Curie nostræ. Chunradus de Velpach pleba-
 nus in Ering. Alramus de Atrrse, Chunradus Hatzmuzel, Chunradus de Alkers-
 torf,

Inuert-
snigen.

torf, Bernhardus de Vokkenberg, Tyrolfus de Osterhouen, Viricus Dapifer noster dictus de Nevvenstorf, milites, Chunradus Cizeman officialis noster in Aterse, Gebhardus de Veltpach, Fridericus de Franckenburch, Fridericus Phnurco, Fridericus de Alkerstorf, Engelschalcus de Hag, & alij quàm plures fidedigni, Datum in *Aterse*. Anno Domini MCC LXXVIII. VIII. Kal. Iulij.

Memoriale de quo supra num. 56.

Thomas permissione diuina Abbas Monasterij *Celle Principum* Ordinis *Cisterciensis*, *Patauiensis* Diocesis, Vniuersis & singulis Christi fidelibus ad quos præcantes nostræ literæ peruenerint, Salutem in Domino. Quia coram nobis personaliter constitutus Venerabilis in Christo Pater ac Dominus Dominus *Ioannes* Abbas Monasterij in *Aspach*, Ordinis Sancti *Benedicti Patauiensis* Diocesis, de fundatione & dotatione Reuerendi in Christo Patris ac Domini, Domini *Bertholdi* Dei gratia *Babenbergensis* Ecclesiæ Episcopi, suorum quoque successorum, animo & intentione, modernum Reuerendum in Christo Patrem ac Dñ. Dñ. *Antonium*, eiusdem Ecclesiæ *Babenbergensis* Episcopum, clarius informandi, uidelicet qualiter dictum Monasterium in *Aspach*, non tot & tantis gaudeat redditibus, quemadmodum in principio suæ fundationis sit prouisum, & ferè multis solatiis destitutum. Allegauit etiam & proposuit, quomodo certa Priuilegia super redditibus dicti Monasterij edita & conscripta, in exustione ipsius Monasterij forent per ignis voraginem consumpta, nec non huiusmodi Monasterium suum, in multis & diuersis debitis sit oneratum. Hæc & alia ad verificandum præscriptus Dominus *Ioannes* Abbas honestos ac prouidos viros *Stephanum Rauniger*, *Matthæum Lindner*, & *Georgium Mülhueber* ciues *Patauienses*, coram nobis in medium produxit, qui omnes & eorum quilibet deposuerunt fide data, loco præstiti iuramenti, quomodo dictum Monasterium *Aspacense* multis debitis & oneribus sit inuolutum; prout in quadam schedula per ipsum Dominum Abbatem coram nobis producta, & per Notarium subscriptum lecta de verbo ad verbum plenius continetur, &c. Ideoque debita præscripta pro maiora verificatione, licet tamen aliqua ex eisdem per modernum Dominum *Ioannem* Abbatem, etiam eo ante tempora existente Procuratore eiusdem Monasterij in *Aspach*, sint pro parte soluta, ad petitionem eiusdem Domini Abbatis hic inferi, & inscribi huiusmodi schedulam iussimus, & per Notarium publicum subscribi, nostriq; sigilli appensione iussimus communiri. Super quibus etiam idem Dñ. *Ioannes* Abbas petiit sibi tot, quot forent necessaria publica confici Instrumenta. Datum & actum *Patauiæ* in domo habitationis nostræ, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo octauo, Indictione prima, die vero quarta decima mensis Martij, hora meridie vel quasi. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Dñ. *Eugenij* diuina providentia Papæ quarti, anno eiusdem septimo, presentibus ibidem honorabilibus & prouidis viris *Ioanne Langshaimer*, Magistro *Petro Helm*, ciuibus ciuitatis *Patauiæ*. *Ioanne Brobst* armigero, & *Oswaldo* de *Furstenzell*, Marstallario nostro Laicis, *Patauiæ*. Diocesis. Testib. ad præmissa vocatis pariter & rogatis, &c.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII

Aspach.

I. FRIDERICVS *Sigenhaimer* ex nobili familia de *Sigenhaim*.

II. WICKE.

- II. WICKERVS.
 III. OTTO.
 IV. RVELLIEBVS.
 V. RVECHWINVS.
 VI. ARNOLDVS.
 VII. HERRANDVS.
 VIII. ORTOLIVS.
 IX. WICKERVS *secundus*.
 X. EBERHARDVS.
 XI. RAPOTO.
 XII. HEINRICVS.
 XIII. RAPOTO *secundus*.
 XIV. ALBERTVS.
 XV. BERNHARDVS.
 XVI. HEINRICVS *secundus*.
 XVII. IACOBVS.
 XVIII. DIETMARVS.
 XIX. VLRICVS.
 XX. ALBERTVS *secundus*.
 XXI. IOANNES.
 XXII. IACOBVS *secundus*.
 XXIII. IOANNES *secundus*.
 XXIV. WOLFGANGVS.
 XXV. IOANNES *tertius*, *dictus Rughelm*, *primus insulatus*.
 XXVI. BENEDICTVS.
 XXVII. ADAMVS.
 XXVIII. EGIDIVS.
 XXIX. CHRISTOPHORVS.
 XXX. MARCVS.
 XXXI. GABRIEL.
 XXXII. IOANNES HENRICVS.
 XXXIII. WOLFGANGVS *secundus*.
 XXXIV. LAMBERTVS.
 XXXV. MAVRVS.

AETL

MONASTERIVM ordinis S. Benedicti, in ripa Oeni, super Wasserburgium, fundatur ab Arnolpho, Comite Damastano, amicissimo Heinrici quarti Imperatoris. Ibidem cum vxore Gisala sepultus, circa Annum 1080. quod per fratrem eius Fridericum dictum Rocho, ad tantam egestatem redactum est, ut ægrè tres Monachos alere posset. Engelbertus Comes Wasserburgenfis postea refecit, ac locupletauit. Limpurgium arcem seu Castrum suum vicinum solo æquauit, quod otio & solitaria vitæ ac disciplinæ, strepitus ciuiles ac aulici minime conuenirent. Wasserburgium cum toto famulitio migravit, ac ibidem de cætero habitauit. Et hoc circa Annum Domini 1160. Auent. in Annalib. fol. 552. & fol. 692.

SEPULTI sunt ibi Nobiles Zelleri de Zellereut vicini olim, &c.

ADDE